Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2121
Quelle:
Copyright:

cuore. elo non de dubitare de la sua salute. Interrogationes hae latine habentur in edit. *Opp. Anselmi Paris.* 1721. p. 194. f. et bis *Vol.* I. a me relatae sunt.

DCCCLXXVIII.

U. 662 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 606. 8. maj. eleganter exaratus, rubricis enotatus, olimque ejusdem *Joh. Fabri*, itidem *Breviarium* est, et quidem ad *Bohemiam* pertinens, ut fidem faciunt Divi Tutelares Regni in *Calendario* praevio minio distincti. Inter Officia de Sanctis *fol.* 595. comparet *Caroli M. Imperatoris confessoris non pontificis*, et *fol.* 599. *Longini martyris.*

DCCCLXXIX.

U. 660 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 616. 4. min. bene quamvis non una manu perscriptus, coloribus illustratus et anno 1533. *Mathaei Mlakhar Isauratii*, pariter *Breviarium* est, et quidem Dioec. *Salisburgensis*, ut in praefixo *Calendario* mense Martio *Depositio S. Rudberti ep.* Junio *Erndrudis v.* Septembri *Translatio S. Rudperti ep.* et *Virgilii ep.* Novembri *Depositio S. Virgilii* rubricata denotant, item in ipso decursu *fol.* 543. p. 2. *Finita collecta fiat processio ad sanctum Rudpertum. fol.* 545. p. 2. *In dedicatione ecclesie que celebratur proxima die post rudperti in ecclesia salzburgensi*, et *fol.* 549. p. 2. *Finita oratione fiat processio ad sanctum Virgilium.* Oratio in utraque dicenda incipit: *Omnipotens sempiterne deus altare hoc nomini tuo dedicatum* &c. Qui hodie ad recitandas Horas canonicas tenentur, comparent ordinatissima Exemplaria sua cum vetustis ejusmodi *Breviariis*, et de commodis suis sibi gratulentur.

DCCCLXXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 17 XV. Folior. nunc 481. f. primum lineis longis, dein a *fol.* 87. per duas columnas, probe scriptus, coloribusque varius sacrum Chori Officium, quod vulgo *Breviarium* audit, complectitur, pertinuitque olim ad Ecclesiam Metropolit. *Strigoniensem* in *Hungaria*, ut liquet e sequentibus. Praeit *Calendarium*, in quo miniati *Gerardus*, *Adalbertus*, *Ladizlaus*, *Stephanus* &c. Regni Tutelares. Ad *Februarium* manu Sec. XV. notatur: *Anno domini 1465. prima die Mensis Februarij Obiit Rmus dominus Dionisius de Zects Titt. Sancti Ciriaci presbiter Cardinalis Archiepiscopus Strigonien. et in Regno Hungarie legatus de latere* &c. Ad *Julium* eadem, qua *Calendarium* scriptum est, manu: *Anno d. M° CCCC° XXI. feria sexta proxima ante festum sancte* (Margaritae Virg.) *hora serotina obiit venerabilis bone memorie dominus petrus prepositus Ecclesie Strigonien.* cujus Viri etiam Epitaphium hiulcis constans versibus ad marginem inferiorem legitur, in quo audit: